equalitas. Ad quod dicimus quod sicut pluralitas nichil sibi est. Similitudo enim nichil aut habet sibi simile non est. Ita et aliud equale aliquid sibi non dicitur. Ut pluralis sicut plures. Ita et relative equale dicitur. Dicitur ergo relative filius equalis patri et utrique spiritui sancto. Est tamen equalitas patris filii et utriusque spiritus sancti propter substancie simplicitatem eterne et unitatem. Equalis est igitur filius patri secundum substantiam non secundum relationem. Unde Augustinus in v. libro de trinitate: Relinquitur secundum quod equalis est pater filius non secundum hoc quod ad patrem dicitur filius equalis est patri. Restat igitur non secundum id equalis sit quod ad se dicitur. Quicquid autem ad se dicitur secundum substantiam dicitur. Restat ergo ut secundum substantiam dicatur et sit equalis. Eadem est igitur utriusque substancia. Idem in vi. libro de trinitate: Sanius est in quantum nullo modo videtur filium equalem esse patri si in aliquo, scilicet quod pertinet ad significandam eius essentiam inequalis invenitur. In omnibus ergo equalis est pater filius et est eiusdem substancie. Equalis est etiam spiritus sanctus. In omnibus equalis propter summam illius substancie simplicitatem. Ex his percipimus quod secundum substanciam filius est equalis patri et utrique spiritus sanctus. Et appellacio tamen relativa est equalitas ergo patris et filii non est relatio vel nomen sed propter nature unitatem indiscreta.

**Quomodo dicatur similis et quid sit similitudo**

Hoc idem etiam de simili dicimus et similitudine. Cum enim dicitur filius similis patri relative quod dicitur. Sed similis est pater propter unitatem essencie. Est ergo appellacio tamen relativa. Distinctio xx.

**Ubi ostendit quod nomine equalitatis et similitudinis non ponitur aliquid sed removetur**

Inde quibusdam non indiscrete videtur nomine equalitatis vel similitudinis non aliquid poni sed removeri. Ut ea ratione dicatur filius equalis patri quia non maior est eo neque minor, et hoc propter unitatem essencie. Ita et similis dicitur quia neque dissimilis neque aliquo dissimilis, et hoc propter essencie simplicitatem. Non ergo secundum quod filius est genitus a patre equalis vel inequalis est patri, nec similis vel dissimilis est, sed equalis et similis secundum substantiam.

**De sententia hylarii qui in trinitate personarum propria ostendit**

Non est hic pretermittendum quod illustris vir hylarius propietates personarum assignans dicit eternitatem in patre esse, speciem in ymagine, usum in munere. Que tante difficultatis verba sunt ut in eorum intelligentia atque explanatione vehementer laboravit Augustinus, ut ipse ostendit in vi. libro de trinitate. Ita dicens: Quidam cum vellet brevissime singularum in trinitate personarum insinuare propria, Eternitas est inquit in patre species in ymagine usus in munere. Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione scripturarum et assertione fidei vir extitit hylarius. Hic enim in libris suis posuit hoc. Horum id est verborum, patris et ymaginis et muneris, eternitatis speciei et usus abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo non eum secutum arbitror in eternitatis vocabulo nisi quod pater non habet patrem de quo sit. Filius autem de patre est ut sit atque ut illi coeternus sit. Ymago

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0098

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG